DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

FEBRI MALIGNA.

Quam

Favente Deo Ter. Opt. Max.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. JOANNIS ORTWINI WESTENBERGII,

J. U. D. Ejuſdemque Facultatis in Illuſtri DUCATUS GELRIAE & COMITATUS ZUTPHANIAE Academia, quæ eſt HARDEROVICI, Profeſſoris Ordinarii,

NEC NON

Conſenſu Ampliſſimi Senatûs Academici, Nobiliſſimeque Facultatis MEDICÆ decretô,

Pro gradu DOCTORATUS, ſummiſque in MEDICINA honoribus & privilegiis, ritè & legitimè conſequendis,

Eruditorum Examini ſubjicit

GEORGIUS CAROLUS HALBERSCHMIT, Culemburgenſis.

Ad diem 25. Martii horis locoque ſolitis.



HARDEROVICI.

Apud Viduam & Filios ALB. SAS, Academiæ Ducatûs Gelriæ & Comitatûs Zutphaniæ Typogr. Ord. cIↄ Iↄccv.

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO, GENEROSISSIMO,

DOMINO

D. ALBERTO NICOLAO, BARONI DE SCHAGEN, &c. &c. &c.

CONSILII STATUS FOEDERATI BELGII ASSESSORI PRUDENTISSIMO.

NEC NON

AD CASTRA DELEGATO DIGNISSIMO.

DOMINO SUO AC PATRONO AD CINERES COLENDO.

Digitized by Google

EXpers conſilii veluti vis mole caduca,
Sic Ars ἐγκυκλικὴ niſi Ceroma curet ad ictus.
Invidiæ vanæ, quâ Ars & Fortuna tenentur
Teſte mea Praxi, quam Iovæ nutibus egi
At antum Patriæ juſſu, dum ad Belgica caſtra
Morbonæ & Martis vario diſcrimine læſa
Arte Machaonia, tum quid chyrurgica ſuadent
Nobiliora, feror. Iuvat hic quid tangere pulſum
Vulneris aſpectus, niſi χεὶρ accedat & ἔργον;
Eheu militiæ ſors anceps! Inclyte Baro,
Tonſorum perverſa cohors; ſeu toxica caſtris
Objicitur, quoniam perverſo more fatentur,
Αὐτὸς ἔφα:
Quo feror hic? Baro penitus quid volvo ſuſurrum,
Dum modulumen adeſt, ſummo velut æthere miſſum
A Patriæ Patribus: Queîs Fas, bona cauſa triumphant.
Nominis eximii, Baro, ſplendore beentur
Primitiæ! quæ animi ſiſtunt τεκμήρια grati.
Parva placere VIRIS MAGNIS perſuaſa: quid ergo
Muſa times? reſonent cordis ſuſpiria voto.
Vive vige Patriæ, feros videaſque Nepotes!
Hoc eſt votiva, Baro, quod mente peroptat

Humilimus

GEORGIUS CAROLUS HALBERSCHMIT.

Digitized by Google

PRÆFAMEN.

NE mirabere Lector Candide, dum jura academico mori tribuens, caſu praxeos à me ipſo obſervato exordiar. In obſidione namque Ruremondi, Anno 1702 inter alia dira ac horrenda tunc temporis confœderatorum exercitum affligentia ſymptomata (ut plerumque ſolet) accidit, ut aliquis immani maligna febri de tempore in tempus peſſimis ſtipata ſignis, jam jam mortis inſtantis prognoſin dubio procul exhibentibus, corriperetur; Quæ tamen, mirandum ſane, contra omnium tum temporis medicorum præſentium (quibus propter exercitatiſſimam praxin ac experientiam ſuus manet, atque ſemper manebit illibatus honos, atque gloria) ſententiam, quod citra ullam hic profiteor jactantiam, meo ſub auſpicio non ſolummodo curata, ſed etiam ſanata eſt. Objecta ergo ſiquidem ſenſus movere dicuntur, ac cuique ſuum pulchrum videatur, non abs re fore judicavi, ſi loco conſuetæ alicujus diſputationis ſpecimen academicum cæteroquin exhibentis, caſum ſequentem enodandum aſſumerem, cujus obſervata æqui bonique conſulas L. B. iterum atque iterum rogo.

CASUS.

GErhardus Bauwſchmit, Bipennifer ſub Celſiſſimi Principis Haſſiæ Legione ſtipendia merens, ætatis annorum 24. circiter, conſtitutionis plethoricæ,

circa autumnum obruitur ſequentibus phænomenis: Primo die ſubitaneus virium collapſus apparet cum cerebri perturbatione: 2. die in eodem ſtatu verſatur. 3. die delirii immunis dolore inteſtinorum & lumborum afficitur. 4. die oculi rubri ac diſtorti adſunt cum Phrenitide. 5. ac 6. die Phrenitis mitigatur, ſuccedunt autem virium dejectio ſumma ac Torpor: circa veſperam ſingultit ac ſtridor dentium adeſt maximus, cito autem ægrum relinquunt. 8. die infenſus morbus tunc temporis epidemicus Dyſenteria ipſum invadit, quæ tamen circa tertium diem imminuebatur, ſed adveniunt porro maculæ in pectore lividæ ac tubercula in inguine, circa 12. diem quaſi ſurdus jacet remiſſioribus omnibus ſymptomatibus, nil appetit duorum dierum intervallo, niſi parum gelatin. CC. cum rad. contrajervæ in vino pontacq. tandem 18. die liquidum aliquot petit ac ſenſim convaluit.

RESOLUTIO.

Exactam morborum cognitionem, eorumdem certiſſimam eſſe medicationem, excellentiſſimè monet Medicorum facile Princeps Hippocrates. Hujus memor, atque trutinatis ac conſideratis omnibus trutinandis ac conſiderandis, malignarum febrium ad claſſem, hunc affectum ſi referam, quid obſtat? Eſt enim *Febris maligna intemperies humorum, ſubito vires, omnia fermenta & functiones partium corporis humani dire ſubvertens, ut plurimum cum invaſione partis alicujus nobilioris, variis porro phænomenis ægrum afficiens.* Hanc ipſam hoc in noſtro caſu fores

res

res pandiſſe, quilibet niſi fortè Tiræſia cœcior eſſe velit, ſatis videre poterit, cum Principium ſatis ac Incrementum, tum Status quam Declinatio hujus morbi ſole clarius hoc teſtentur.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE

FEBRI MALIGNA.

THESIS I.

CAſus noſtri principium quod concernit, oritur in noſtro ægro à principio nervoſo ac cerebro, immaturo ac peregrino ſucco hebetato, unde ſubitaneus iſte virium collapſus, huic ſi ſopor ac febris accedat, Medicis *Lethargus* vocatur, ſi vero in augmento verſetur hic affectus, ut acredo humoribus accedat, inordinato motu Spiritus afficiuntur, ac delirii ſpecies tandem in ipſam phrenitidem tranſitura, in conſpectum prodit. Hic vero motus cum intenſiſſimus exiſtat, maximum æſtum, ac per conſequens febrim ardentem producit; Quæ exacerbatur, quatenus acredo hæc non ſolummodo maſſam ſanguineam, ſed & cætera viſcera, quæ velociſſimo motu pertranſit, inflammatione afficit, quod frequentiſſimè in caſtris obſervare licet; Sic in Juvene Officiario Domino Meiers Febri Petechiali labo-

laborante tandem angina, lingua ſqualida, ac oculi torvi ac lividi cum bilis fluctuatione accedebant, non aliter ac à materia venenoſa viperæ morſu inflicta contingere ſolet.

II. Tantum revera abeſt, ut ſtatueremus, partes ſolidas in febri maligna illibatas remanere, materia maligna in humoribus ſolummodo ſæviente, ut contrarium & ratione evinci poſſit, & experientia probari. Sic ante VII. annos in inclyta Duysburgenſi Academia, præſente tunc temporis Facultatis Med. Decano, Viro Celeberrimo, Domino Doctore Godefrido Barbeck, Profeſſore meo intimè colendo, νῦν ἐν ἁγίοις, in cadavere febri maligna exſtincto, atque cultro anatomico ſubjecto, mihi obſervare licuit, pleraſque partes, ac præcipuè hepatis inflammatas, cum pertinaci pancreatis induratione. Talia porro in ſudore Anglico ſic dicto, febri Hungarica, atque aliis peſtis ſpeciebus enecatis quotidie obſervantur, ac cuivis ſedulo naturæ perſcrutatori obſervare licet. Quicquid enim auctores de eſſentiali febris malignæ cauſa litigent, id unum diverſæ materiæ peccanti, hoc vel iſto modo in corpore humano ſævienti tribuendum, quatenus nempe partes tam ſolidæ quam fluidæ afficiuntur à ſalibus volatilibus acribus plus minuſve corroſivis. Hoc in ſtatu omnia metuenda, non ſolummodo enim phrenitis, ſed & alia periculoſiſſima ſymptomata, ut ſitis immenſa, ſingultus, ſtridor dentium, & alia machinæ humanæ plenariam deſtructionem ac interitum minantur. In hoc diſcrimine ac vitæ periculo licet verſaretur hic noſter patiens, divina tamen annuente gratia, & Medicamentis exhibitis, ſanus evaſit, ut declinatio hujus

morbi

morbi aliis aliter ſuſpicientibus, contraria evenerit.

III. De Diagnoſi ac prognoſi hic multa differere, ſupervacaneum duco, cum ea ex præcedentibus facile pateant: cauſa vero ſpecialis tantorum ſymptomatum paulo altius eruenda erit, quam exiſtimo oriri, quoties maſſa ſanguinea ab heterogeneo Fermento ſubito vitiatur, ut ejus claboratio in corde (quam attenuationem & in minimas particulas diviſionem ac volatiliſationem juſtam nuncupo) vel ex parte vel totaliter vitiatur, unde tam triſtia fata oriri neceſſe erit.

IV. Non tantum tamen ſanguinis & humorum maligna lues à ſale rigido acri, corroſivo conſtrictionem & coagulationem ſeu cauſam agnoſcit, verum etiam nimiam reſolutionem, & fuſionem, (quæ volatilis conſideranda eſt naturæ) unde Principiorum, blanda unione in ſtatu naturali gaudentium contingit diſcordia: hinc Temperies deſtruitur, dum ſal volatile ſanguinis diſcedere cogitur, unde particulæ temperaturâ carentes in ſe invicem inſurgunt, ac totius machinæ tumultus ferociſſimus oritur, binis hiſce modis ſanguinis ευπνίαν invertens, ut cordis talamis ac canalibus, rivuliſque permeandis inhabilis reddatur, humoreſque partibus infenſos deponat.

V. Salia igitur rigida, acria, corroſiva, arſenicalis indolis, corpus humanum vario modo afficientia, talia dramata ludunt, hinc facillimo modo colligere licet, quæ cauſæ remotæ huic hoſpiti ſubſidium adſtruant, inter quas ſe ſiſtunt: Res Naturales dictæ, Ætas, Temperamentum, Diſpoſitio &c. hiſce effluviis ſuſcipiendis apta (à diſpoſitione enim ad habitum facilis eſt tranſitus) de ætate juvenili magis obnoxia, ſenex Aph. 29. ſect. 3. aliquid aſtruere videtur, quod rarioris tex-

turæ forſan debetur, verum nulli ætati aut ſexui parcere noſtra obſervatio teſtatur. Temperamentum quod attinet, quo ſolidius eo minus obnoxium inquinamento autumo. Fidem mihi attulere Haſſi milites eodem tempore maligna detenti febri, dum ſymptomatibus minus pertinacibus tentati, celerem adipiſcerentur curam, ut inter viginti maligne affectos vix duo vitam cum morte mutarent, ubi cætera natio cuncta præſidia medica ſtrenue illudebat.

VI. Porro etiam ſex Res Non naturales, quarum aër non infimi commatis exſiſtit, quatenus ſupradictis Principiis ſalinis texturam noſtram ambit, tum quatenus continuo eum inſpiramus. Exſiſtit autem malignus tum ex lacubus ac paludibus fœtidis, tum ex cadaveribus aut a Marte aut Morbona peremptis, huc illucve ſparſis, nec minima confert halitus infectorum, vehiculo ejus ſanis aſportatus. Quæri hic poſſet, cum eodem tempore plurimi agri exſiſterent Dyſenterici uno eodemque aëre expoſiti, quare hic æger non æque hac labe a Principio ſeu morbo aſiiciatur? ℞ licet ſub eodem æthere vixerit, conſtitutio Principiorum Machinæ ipſius alia fuit, videmus enim ſalia diverſe conſtituta poſſe multifarie inverti, ut in aliquibus caſtrentur, in aliquibus exaltentur, imo in aliud ens nonnunquam mutentur. Ex. Gr. Antimon. per nitri additionem correctio, item in proceſſu Chymico Mercurii Diaphoretici, ubi Mercurius ſublimat. corroſiv. mitigatur ſale Alcali Tartari, ut ex ſale rigido corroſivo mutetur in diaphoreticum. Ad Alimenta ut confugiam, hæc conjuncta cauſa etiam in hac Febri aliquando exſiſtunt, imo malignam poſſe ex iis

per-

perperam uſurpatis oriri certo certius, quod Bacchi nepotuli experiuntur proh dolor! qui in vite vitam collocantes ſanguinem inflammant, idem de Cerere judicandum, dum Cretenſium more aſſumitur. Hujus rei in ſacris 1 Corinth. 6: 12. item Eccleſ. 38. mentio fit. Hinc Fernelio audit meditorum nutrix ingluvies nimia, excipienda autem hic vita martia juſto regimine ſex Rerum Non naturalium deſtituta: cujus meſſis calamitoſæ cauſa, inopia ac fatigatio exſiſtit.

VII. Ad ſomnum & vigilias, motum & quietem propero: Quæ utraque ſi vel in exceſſu vel defectu peccent, inſidias Machinæ humanæ ſtruunt, quemadmodum hoc in Hipp. Aph. 3. ſect. 2. porro patet: Excreta & retenta dum juſta via ac modo non contingant, proximæ cauſæ hujus Febris exſiſtunt focus, ſic ſudore immodico in hiſce febribus ſæpe afficiuntur ægri, unde glandularum exſiccatio ac aridura, ut nonnunquam tabis naturam poſtea induat. Animi Pathemata, quantum humoribus corrumpendis valeant, Plauti ſententia demonſtrat, dum dicit, *jactor, crucior, agitor, verſor in Amoris rota miſer*, ſane depauperationem humorum hiſce indigitat. Ira non infimæ notæ, in humoribus turbandis exſiſtit, unde Poeta Perſius recte:

Sic multis calido ſub pectore maſcula bilis,
Turgeſcit quam non exſtinxerit Urna cicutæ.

& alibi Poeta,

Ferveſcit ſanguis & ira. Scintillant oculi.

Quo ſanguinem acri ac immaturo bile infarctum, facile Phrenitidem producturum intelligunt. Aſt poetarum quid dictis immoror? dum ſacra id etiam affirment, dolore nempe frangi animi ſpiritum, animumque lætum contra bene efficere vultum, vid. Prov. 15: 13. Gen. 31: 2.

VIII.

VIII. Ne ſigna in totum intacta relinquam, cum Clariſſimo Wedelio optimis non fidendum autumo, quod Senex applaudit ſect. 2. Aph. 19. Adveniunt autem Practico ſigna tum diagnoſtica tum prognoſtica magni ponderis, quibus futura ſæpe Phænomena averruncat. Quem in finem Urinam, pulſum, ſudorem, petechias, oculos & volam manus ſeu teſtes in ſcenam provocare neceſſe eſt; Ex gr. Urina tenuis & intenſiſſime rubra qualis in Officiario Mejers viſa, malum eſt, effrenis enim bilis fluctuat in ſanguine &c. Turbida in ſtatus initio, quæ ante clara exſiſtebat, ſpem inſignem fovet, de futura tranſmutatione morbi per diureſin. Sanguineam peſſimæ notæ, vidi in Uxore nautæ alicujus eodem tempore eodem morbo infecta, cui ſimul inflammatio uteri aſſociebatur. Livida ac atra præcipue lethalis, rigidiſſimum enim ſal cum acido conjunctum hic dominatur &c. de contentis fere eadem ſit ratio.

IX. Sanguinis ſtatus optime pulſu cognoſcitur, ſiſtunt autem ſe debilis parvus ac inæqualis, quæ bina priora ſi ſubito invadant, peſſimum ſignum. Inæqualis ut plurimum aut ſyncopen aut convulſivos motus minatur, rapitur enim miaſma ad cor, unde hujus farinæ ſymptomata ut umbra corpus ſequuntur. Deficiens non omnino lethalis, licet malum omen exſiſtat.

X. Ad Sudorem tranſeo, cujus odor fætidus malignitatis tam qualitatem quam quantitatem annuere poteſt: emolumentum itaque egregium erit, dum Bezoardica ſua juxta indicationem præſcribit Practicus, de quibus poſtea in cura ulterius. Validiora ſudorifera multoties fruſtra exhibita, ſpem medici non abs re

minuunt,

minuunt, imminet enim ut plurimum Delirium, Syncope, Convulſio &c. ad hæc de artificiali ſudore accedat Hipp. dictum in Aph. 37. ſect. 4. In priori enim Hip. ſententia effervescentiæ deletæ, in poſteriori autem pituitæ acidæ ſuſpicio eſt. Oculi rubri ac feroces delirii aut imminentis aut exſiſtentis indicium, hic autem ad opiata blandis ſudoriferis fixis maritata ut confugiamus, curationis cardo demonſtrat; *Oculis involuntarie lachrymantibus peſſimum, ſecundum ſenem*, Aph. 2. ſect. 8. Manus itidem iteratis ac tremulis inſultibus moveri peſſimum, tumque analepticis ſuccurrere nulla interpoſita mora fas erit. Lingua etiam inſignis Principii prædominantis in hac Febri nuncia eſſe poteſt, porro *In morbis acutis cum febri luctuoſa, ſuſpiria malum*, ex ſententia Coi Aph. 54. ſect. ſextæ; organa enim reſpiratoria aboleri quoad naturalem functionem notatur, quod cæteris organis itidem contingere poſſet. Criſeos ergo certum tempus, tum ratione corporis euchymici, aut cacochymici, tum climatis evaneſcit: limitandus ergo Aphoriſm. 23. ſect. 2. cum grano ſalis. Variat enim Praxis Hipp. in Græcia habita à noſtra. Surditas hinc orta in declinatione nonnunquam ſolvitur ejectione puris. Petechiæ repetitis vicibus introcedentes peſſimæ. Minoris periculi cum Eriſypelate & puſtulis cutis mihi viſa in Principiſſa Celſiſſima Homburgenſi.

XI. Comatoſus ſomnus, anxia corporis jactura, reſpiratio interrupta, peſſima; vide Hipp. Aph. 68. ſect. 4. Singultus pertinax analeptica quæcunque illudens mortiferus. Atram fundi bilem peſſimum. Extremarum partium frigiditas peſſima Aph. 1. ſect. 7. Hoc modo exſtingui vitalem effervescentiam indicio

 eſt.

eſt. Fœtor intenſus, oculi alterius prolapſus, mortem appropinquare perhibent. Dolorem partis alicujus internæ æſtuoſum ſentiri malum. Confer ſenem Aph 65. ſect. 4. Collum intorqueri, ut vitietur, deglutitio nullo tumore manifeſto lethale Aph. 35. ſect. 4. Ut autem ſymtomati huic inſigni (tum temporis morbo Epidemico exſiſtenti:) Dyſenteriæ 8. die Accedenti in hoc anguſto diſſertationis campo concedatur locus, ſignis pluribus inhærere ſuperſedeo.

XII. Merito jam interrogari poſſet: Quare affectus hic non dyſenteriæ nomen mereatur? ℞. licet tunc temporis Epidemica fuerit, attamen tum Eſſentialibus Febris malignæ ſignis hic apertis, tum dyſenteriæ parva mora exiſtente, hæc quæſtio ſponte evaneſcit. Et eodem tempore, in pluribus aliis eandem ſymptomaticam expertus fui. Doloroſa itaque accidit hæc excretio, plus minuſve cruenta, cujus ætymologia relicta ad propoſitum noſtrum properabo, nec ejus invaſio admiratione digna, ſi modo alteram Febris malignæ cauſam fuſioni aſſcriptam revocemus, unde quiſquis humor nexu ſolutus genuino, hamatis, cuſpidatis, ſagittatis, acuminatis partibus ſaginatur, qui canalem inteſtinorum ingreſſæ, vellicant, perforant, corrodunt, unde ejuſmodi commatis producta ſequeſtrari neceſſe eſt. Effluviis corroſivis, acribus, &c. atmoſphæram perſpirantibus, antea poſitis, rite conſideratis, autoptica indoles hujus ſymptomatis in apricum prodit, ideoque ne entia temere multiplicemus, quid hic nuncius portendat, brevibus conſiderabimus.

XIII. Dyſenteria itaque maligna, ſi morbi ſeu ſymptomatis naturam induat, monſtri quid alit, ni brevi

meta-

metaſtaſis contingat. Paralytica enim inteſtina, imo mortificatio eorum inſtat immedicabilis; lethi lernam trahit, ſi organa genitalia epileptica reddat, quod in uxore prædictæ nautæ prope Venlonam etiam contingebat, hic uterus miasmate afficiebatur, ac ob nervoſam texturam convulſivus exiſtebat. Proximæ cauſæ itaque hæres, & curæ hæres exſiſtit; Prophylaxin autem Theologicam cuivis Jehovæ Præconi, Politicam, de ſubjectorum ſalute ſollicitis Belli Ducibus & Magiſtratui committens, ne Morbonæ potius quam Martis cladem infauſtam ſentiant, ut de tempore medicinam implorent, pro ſubditis præcipue egenis, ut truculentiæ huic quantum Jehova ac natura dedit, obex ponatur.

XIV. Ad Pharmaceuticam itaque devolutus, in ſcenam produco, Bezoardica, relictis abortivis Autorum Formulis. Naturam autem & Bezoardicorum operandi modum ut perpendam: 1. contingere ſuſpicor, quatenus ſanguinis & humorum heterogenea indoles, tum corroſivo tum acri volatili ſale infarcta circuretur. 2. Fermenti peregrini aut diureſi aut diaphoreſi alexiteriâ, eliminatio contingat. 3. Circulantium humorum juſta unio ac mixtio (quam temperiem dico) concilietur. 4 vires amiſſæ reſtituantur, præſentes conſerventur, quod Cardiaca præſtabunt. Bezoardica Analept. Anod. aſſociata, quæ 1. ſale volatili ac ſulphure gaudent 2. vi enervandi acidum corroſivum 3. quæ levi aſtrictione ſanguinis reſolutionem impediunt, & bilis furorem compeſcunt, ſeri defectum ſupplendo. Regna itaque tria perſcrutabimur obiter more diſſertationis.

XV.

Digitized by Google

XV. Porrige Minerale tela', queis utrumque hoſtem transfigere poſſim ! adſunt: Unicornu foſſile, Cinab. nativ. Antim. Diaph. Bezoard. min. Terra ſigillat. Lemnia, Bol. Arm. ſulphur. ejuſque variæ analyſes. Flor. Ol. Sulphuris per camp. flores ingrediuntur Balſam. Alexiphar. uſitat. Aurum Diaph. Clariſſimi Grulingii pag. 190. Flores Antimonii fixi cum nitr. præparat. Lapis D. Pauli. corallia eorumque magiſteria ſucco citr. parat. in quo optime ſolvuntur. Nitri excellentia elucet dum ſale volatili acidis particulis juncto abundat : unde Michaëlis Spir. antipleuritici in quacunque inflammatione interna feliciter uſus, accedit nitrum corollat. perlat &c. inſignis effectus: hac ratione laudandus mos Batavorum, aquam putealem in caſtris lympidam reddentium ſulphure ac nitro pulveris pyrei. Vegetabile quod attinet in promptu ſunt Rad. Angelic. Gent. Carlin. Petaſit. Contrajerv. Biſt. Herb. Scord. rut. Valeriana Cort. citr. arant. myrrh. camph. croc. &c. Animalis Regni non infimum decus famoſus lapis Bezoar, modo adulterio caret. vid. Schroderum. C. C. phil. ppt. ejuſque magiſter. Spir. C. Cervi, præſidia malignis affectibus elegantiſſima præbet. Porro viperarum trochiſci & ſal. theriacale apud Zwelferum. p. mihi 181. inſignis virtutis. Sal. bufonum fama Londinenſis exaltat, adhæc cornua ruprica prarum C. C. vix cedunt, arrident mihi compoſita exinde ſequentia. ut Pulv. Panon. rub. pulv. Comitiſſ. de Kent. Bez. Sennerti, pulv. de Goa. Diverſas compoſitiones, vid. in Florileg. Grulingian. Spir. Alkerm. Spir. Theriacal. camphorat. vid. Clariſſ. Hoffmannum, Theſaur. Pharm. p. 103 ſpir. nitr. Bezoard. Sp. Camphor. C. C. ſuccinat. Tinctur. Bezoard.

Digitized by Google

Bezoard. Michaelis laudes ſuas etiam meretur : quia autem Anglorum Tinctura Bezoardica paucioribus ingredientibus conſtat, hæc præferenda. Hiſce non incaſſum additur Caſtoreum & ſpir. vitrioli volat. ſiquidem vis analeptica ac cardiaca acuitur. vid. Pharm. Lond. p. 174. &c.

XVI. Ut autem propius Dyſenteriam conſiderem, licet cedat Bezoardicis, uti in noſtro patiente, attamen ſpecifica non rejicienda, praxis monet. Sic Theriaca cœleſtis, Pilulas Walſmidii ingredientes, egregii ſunt effectus; Et audit perplurimis practicis inſigne ſpecificum Rhu. coriariorum. Porro ſuber. Raſur. Priap. Cervi &c. In fine Dyſenteriæ traumatica conveniunt : Hinc Tinct. Catech. & balſ. Lucatell. in vino pontacq. ſatisfaciunt. Notandum autem omnia medicamenta in parva quantitate Dyſentericis exhibenda eſſe. Apozemata tamen in delicatulis ſæpe conveniunt, dum vino aſſueti, ejus æſtum diluere poſſunt, ut in Principe Homburgenſi Celſiſſimo mihi contigit, cui nolens volens vinum concedere debui, moniti ſenis memor, *Conſueta licet deteriora minus nocent inſuetis.* En Pulv. Elect. Spir. Decoct. quibus ſi accedat aqua Prophyl. Sylvii, aqua Scorz. ſcord. mixturæ in promptu erunt:

Exemp. grat. ℞. Aq. Borag.
Scord. āā ℥ij.
Prophyl. S. ℥jß.
Tinct. Bezoard. ʒij.
Bez. min. ℈ij.
Pulv. Marchion. ʒj.
Nitr. Antimoniat. ʒjß.
Tinct. Op. Sale Tart. elab. ℈ß.

C Syrup.

Digitized by Google

Syrup. de toto Citr. ℥jß.

F. Mixtur. cochleatim aſſumenda, ſingulis quippe horis.

Si delirium ac inflammatio accedat, Bezoardica fixa ſola paginam abſolvent.

Exemp. grat. ℞. Antimon. Diaphoret. ℈ß.
Nitri Corallat. ℥j.
Lap. Cancror. ℥jß.
Unicorn. Foſſil.
Raſur. Ebur. aa ʒß.
Croc. or. ℈j.

F. Pulv. in duas doſ. dividend. ac pro neceſſitate exhibendus in Aq. Hyſop. Card. b. &c.

XVII. Rhabarbar. æque ac Radix Hipepocuanna, inutilia curæ pondera, omni carent hic ratione. Inteſtini recti prolapſum exinde non ſemel vidi, quid quæſo ſtercoraria cura ad miaſma ſanguini mixtum educendum valebit? In vigiliis & inflammationibus perpendendum utique, ne ſpirituoſis nimium inſiſtamus, ne oleum lampadi addamus. In Inſultibus epilepticis cautela maxima opus eſt, ne mortifera nota (Tetanum puto) producatur, ſemper lethalis; huic ſcopo ſufficiet Tinct. Bez. ante citata, viribus analepticis turgida, Sp. C. C. ſuccinatus, Cinab. nativ. &c. diſtinctione autem hic opus, convulſiones hic motu turbulento & acrimoniæ infeſtæ nervis ortum debere, ubi analeptica, mitigantia anodina, ut Tinct. opii ſale Tartari elaborata, pulveres ex mineralibus fixis ſupra nominati præferendi. Exulent vero volatilia ſumma, hæc ſiquidem poris anguſtatis craſſa pituita magis conveniunt. Petechiis, Epithemata ex prædictis herbis opitulantur, modo ſale volatili conſtent, ne Miaſma intropellatur, & unita vis ſymptomatum feli-

felicem ſortem in mortem tranſmutet. Tuberculis inguinis magis ſolatii ab aceto Theriacali, quam Empl. Magnet. in foro Medico ad æthera evecto evenit. Lethargus, ſpecificis excipiendus. Reliqua Phænomena ad amuſſim trutinari campus exiguus Diſſertatiunculæ vetat, ideoque ad claſſem ſupra dictorum ſymptomatum relata, medelam adipiſcentur. Hiſce ſic accedat exacta diæta, ut ſanguinis Temperamentum humoribus naturæ ſequeſtrandis congruum redeat, redibit etiam bona Ingeſtio, Digeſtio ac Egeſtio: quæ legitimam ſanitatem conſtituunt. Pauca hæc de prolixa hac materia ſufficiant, quæ ſane integrum tractatum requireret; ſi omnia ad amuſſim tractari deberent, quod negotia prohibent, ac voluntas etiam Martis ſtrepitu interrumpitur.

ANNEXA CHYRURGICO MEDICA.

I.

Chyrurgia eſt ars Operatione manuali opus ſuum perficiens, abſque anatomia ac Principiorum certa cognitione manca.

II. *Inflammatio abſque ſtagnatione in rerum natura non datur.*

III. *Nervis dolor, furibundo ſanguini Calor, arteriis pulſatio imputanda.*

IV. *In menbranis cerebri inflammatio Phrenitis, in muſculis Laryngis, Angina, in membrana Pleura pleuritis, in Pulmonum membrana, Peripneumonia vocatur.*

V. *Mutatis ſolummodo mutandis, pari præſidio hæ omnes inflammationes curantur.*

VI. *Puerperarum febres inflammatoriæ obſtetricum garrulitate ſæpiſſime lethales.*

VII. *Purgantia in Inflammationibus, ut exulent, ſtrenue ratio ac cauſa jubent: par etiam ratio de refrigerantibus externis.*

VIII. *Tumores Febres continuas inſequentes, in partibus minus nobilibus minime periculoſi.*

IX. *Ratione Principii p.n. prædominantis Chyrurgis tumor recte Eriſypelatod. Scirrod. Oedematod. &c. audit.*

X. *Incaſſum aut abſceſſus aut Ulcus cum carie curatur, niſi exfoliatione peracta.*

XI. *Ichoroſa Materia medicamentorum exedentium mala applicatio novos ſinus efficere ſolent.*

XII. *In Ulcere quocunque emanans liquor exacte conſiderandus; Ichor namque, Sanies, pus, & ſordes toto cœlo diſtant.*

XIII. *Prognoſi ſalutifera Lupus, Nome & Cacoethe omnino carent.*

XIV. *Sympathetica Ulcerum ſanatio abſque Phyſica eſt nulla.*

XV. *Ulcus annuum ab obſtructione menſium eorumque inordinato motu eſt ſanabile.*

XVI. *Viridia, livida, atra, peſſima cujuscunque ulceris ſunt ſigna.*

XVII. *Inflammationes crebræ ulceribus adſtipulatæ, ſi renuant reſolutionem, novos ſinus producunt.*

XVIII. *Calloſitas niſi adimatur, laterem in cura lavat Chyrurgus. Trochiſci cauſtici Dolæi hic totam paginam abſolvunt.*

XIX. *Capitis, Collique Ulcera mercurialibus deſtruere, eſt de vita Patientis ludere.*

XX. *Cancroſi Ulceris curæ ab Autoribus laudatæ, minus*

nus nihilo præſtant, niſi Palliative ſumantur.

XXI. *Quod in Oſſe caries, in Carne ſphacelus, id Cancer in parte glandulosa eſt.*

XXII. *Interna Ulcera mali plena.*

XXIII. *Tinctura Antimonii, metallor. Antihect. Poter. Pulvis abſorb. Wedel. egregie ulceribus opitulantur.*

XXIV. *Vulnera ictu globuli inflicta, majora quam a punctura conſideranda, duplex enim morbus adeſt.*

XXV. *Membranis ſauciatis febres, Nervis grandioribus convulſiones ſupervenire ſolent.*

XXVI. *Majorum Vaſorum vulnera, ut Arter. pulmonum, arter. Carotid. intern. Art. Aſcend. & Deſcend. &c. cum ſudore frigido & collapſu omnium membrorum morti vicina ſunt.*

XXVII. *Tendinum Vulnera ſubdola, ac periculi plena.*

XXVIII. *In Vulnere Capitis analeptica, febrilia temperata, in Hæmorragia ſtyptica valida uſurpando, mortem imminentem averruncat ſedulus Practicus.*

XXIX. *Aeris colluvies maligna, accidentaliter levia vulnera reddit lethalia, cujus exemplum habet Dn. Walſmit de Comite Waldecenſi in expugnat. Candiæ.*

XXX. *Sudorifera, Diuretica, Cardiaca, Antifebrilia, Antipeleptica, Bezoardica, Anodina, Balſamica &c. traumaticis præclare ſubſidium præbent.*

XXXI. *Puris conſtitutio laudabilis, optimi traumatici vices præſtat.*

XXXII. *Gangrænam Bezoardicis Cardiacis temperatis, acre ſal corroſivum cicurantibus curare, tutiſſima eſt via.*

XXXIII. *Mortis inſtantis indiciam in ſauciatis, reipſa Patientis ſalus eſt ac Medici honos.*

XXXIV. *Quicquid nimium frigus aut calorem p. n.*

aut Atrophiam, aut tranſpirationem læſam infert, Gangrænam cauſare compos eſt.

XXXV. *Circulus uſitatus quibuſdam Butyro Antimonii ſupra partem affectam inſtitutus, in ſphacelo ridiculus & nullius eſt effectus.*

XXXVI. *Sphacelum confirmatum, ſola Exſtirpatio tollit, ſi pars huic operationi ſit ſatis congrua.*

XXXVII. *Oſſibus contuſis vaſis laceratis, in partibus congruis ne mortalis ſphacelus accedat, mature hac operatione tela prævisa arcere tenetur Practicus.*

XXXVIII. *Talem autem operationem aggreſſurus prudenti utatur judicio, tum de indole ſphaceli, viribus ægri, & methodica operatione.*

XXXIX. *Requiritur in omni exſtirpatione* 1. *ſphaceli exacta cognitio* 2. *juſta operandi methodus* 3. *congrua pars* 4. *locus Patienti ac operanti commodus,* 5. *apta deligatio.*

XL. *Cauteria actualia, forcipes arteriales, ſeu fidei commiſſum veterum quibuſdam in uſu, nullius ſunt momenti.*

XLI. *Maxima quippe Hæmorhagia noſtris Stypticis obedit, ut arteriarum orificia altero die contorta exſiſtant. Stypticum hoc præparatur ex Colcothari Vitriol. Alum. Crud. &c.*

XLII. *Crucialis ſutura minime attrahenda (prout moris aliquibus) niſi ſolutâ ligaturâ retentrice.*

XLIII. *Capitis vulnera licet levia, caute ſcrutanda.*

XLIV. *Cranii læſi aut ſuppreſſi ſi ſuſpicio adſit, ad dilatationem Chyrurgus invitatur.*

XLV. *Infamis notæ eſt temporalis muſculi contuſio aut vulnus, ob vaſa & nervos copioſiores ibidem exiſtentes.*

XLVI. *Vulnus capitis diuturnum, ſi curam renuit,* de

Digitized by Google

de infecto cranio, omnino detegendo cagitandum.

XLVII. *A contuſione Apoplexiam lethalem fore, contrariatur experientiæ.*

XLVIII. *Contrafiſſuram qui negant, Helleboro egent.*

XLIX. *Vaſa diploen perreptantia dilacerata (licet ſalvum cranium) monſtri quid alunt.*

L. *Bregmatis & ſyncipitis Fractura præ cæteris periculoſa.*

LI. *Subſtantiâ cerebri vulnerata, aut ſopor aut delirium vitam finit.*

LII. *Trepani neceſſarium uſum parvi facientes, ignorantiam ſuam produnt.*

LIII. *Vulnera enim abſolute alias lethalia, brevi ejus operatione redduntur curabilia.*

LIV. *Sclopetaria Colli vulnera peſſima, ſuffocatio enim minatur mortem.*

LV. *Vertebra aut fracta evidenter, aut diſlocata paralyſin & mortem accelerant.*

LVI. *Æſophagi vulnera punctim difficillime, icta globulo nunquam curantur.*

LVII. *In Vulneribus Trachea contiguis aſtringentium uſus cautelam ſummam requirit.*

LVIII. *Viſcera thoracis læſa, aut lethalia habenda, aut chronicum morbum producunt.*

LIX. *Fractura ſterni, coſtarum, Omoplat. dira portendit.*

LX. *Acutiſſimum anatomicum, diverſa figura corporis dimicantis de parte interne læſa, reddit ancipitem.*

LXI. *Lobo alterutro Pulmonum vulnerato, immanis ſi superveniat hæmoptoſis, lethiferum eſt.*

LXII. *Diaphragmatis vulnera ſunt lethalia & non lethalia.*

LXIII. *Injectiones Balſamicæ ſint tepida, mundificantia, mitia, ceterum Antiphthiſica in ſcenam prodeant.*

LXIV. *Paracenteſis mature inſtituta inſignem habet uſum, tam in empyemate, quam alia etiam collectione aquoſa.*

LXV. *Diaphragmatis a re p. n. in abdomine, elevatio locum Paracen-*

racenteſi dicatum ancipitem reddit, intra quintam & ſextam coſtam autem plurimis arridet.

LXVI. *Ventriculi vulnus nerveam tunicam attingens periculoſiſſima. Pertinax enim ſuppuratio excipitur Apoſtemate & ulcere.*

LXVII. *Inteſtinorum vulnera ſunt lethalia & non lethalia.*

LXVIII. *Ridiculi Abdominis, vulnera ferro explorantes habendi.*

LXIX. *Hepatis vulnera lethalia, ſuccedit extravaſatio depluens in abdomen, Inflammatio & Delirium &c.*

LXX. *Ligamentum umbilico inſertum enſe aut globulo ruptum, tragica aſportat Phenomena.*

LXXI. *Contuſiones hepatis abſceſſum minantur.*

LXXII. *Fere ejuſdem tenoris ſunt lienis vulnera.*

LXXIII. *Circa vertebr. lumborum ſanguinem aquoſum emanare è vulnere, renum parenchyma ſauciatum arguit.*

LXXIV. *Ureterum vulnera periculoſa.*

LXXV. *Veſicæ fundi vulnera abſolute lethalia.*

LXXVI. *Cautelâ eget aſtringentium uſus.*

LXXVII. *Genitalia vulnerata lethifero luctu ſævire conſueta.*

LXXVIII. *Levi punctura, tumor, Inflammat. Gangr. Syncop. &c. ſi ſuperveniant, de nervo læſo ſuſpicio eſt.*

LXXIX. *Comminutio grandis oſſium (qualis globulis infenſis exploſis ex Machina Falconet) rite trutinanda, neglecta quippe exſtirpatione, hæmorrhagia pertinax, gangræna ac convulſiones fores pulſant.*

LXXX. *Tumor luxationi ſuperveniens reſolventibus ac emollientibus gaudet.*

De Herniis mihi propoſita ſuperſedeo, dum otia ac exiguus hic campus anhelent

F I N E M.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google